

II 77
1458X

24

dyt. 16



Colat
Comptz

99
245

abr. Ausg. 1698 Pon Jun 1453 QK

15
Q. B. D. V.

DE

ARMINIO,

PRAESIDE

CONRADO SAMUELE
SCHURZFLEISCH,

publicè differet

PAUL CONRAD Mitternacht/
Ger. Ost.

ad diem 29. Jan. A. cl. Isc. LXX.

VITTEBERGAE,

Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.
ANNO M. DC. XCV.

Tom. II. Nr. 1458^x = OK

Universitäts-
Bibliothek
Halle

G. B. D. V.
DE
ARRMINIO
PRAEFATIO
CONRADUS SAMUEL
SCHURZELISCH

PAULI CONRADUS
G. B. D. V.

Typis Christiani Schurzelischi, Acad. Typ.
ANNO MDCCXCV.

ig 46K 767





Faxit Numen!



Arminius, de quo dicturus sum, gente Germanus fuit. Is natus in Cheruseis, & dignum Germano animum & prolusorum instituto militari nomen habuit. Quod facile perspicuum erit Tiotismi nostri indolem pensitantibus. Cujus vim quum non adsequerentur Romani, haud, puto, videbitur mirum, eos Arminium, quem nos Hermannum, appellasse.

2. Discedimus hic igitur à G. Ruxnero, qui vetera Germanorum nomina repedit à Trojâ. Neq; eò melior est Laurentius Hochvartus, qui dum splendorem quaerit à peregrinis, domesticum sanè praetermittit decus. Multo rectius de his tradiderunt nuper doctissimi viri P. Albinus, R. Reineccius, H. Meibomius, aliiqve.

3. Sed redimus ad Cheruscas, quibus Patriam debet Noster. Ii, si Raymundo Marliano tribu-

enda fides est, Leodiensis pars territorii fuerunt. Sed multa sunt, quae dissidere cogunt à Marliano. Nos cum Davide Chytraeo coniecerimus, eas insedisse sedes, quas hodie solent, qui Brunonis colunt vicum, agrumque. Quem in Saxonia suâ videas licet. Ferè sub Historiae initium. Cui addatur velim P. Cluverius introd. Geogr. l. 3. cap. 3. Idem disertè affirmat in Germ. Antiq. Cheruscorum posteros Brunsvicenses appellandos. Paulo tamen latius interpretatur Cheruscos Girolamus Caninus, in Tab. Italicè scripta. Perperam de his Althamerus, angustius existumat H. Junius. Nil decidit Fr. Philippus Ferrarius in Lex Geograph. quod non mirum. Perègrinus in Germaniâ Italus fuit.

4. Jam liquet Saxonas fuisse Cheruscos, eoq; Germanos. De quò adeò nullus dubitat Germanus, ut nec ipsi Romani ullam dubitandi habuerint occasionem.

5. Lubentes hic praeteribimus Saxonum hanc antiquissimis retrò temporibus fuisse rationem, ut alii Ostphali, s. Orientales, alii Angrivarii s. Angarii, * nonnulli Westphali s. Occidentales dice-

** Hic omnium sermone celebratus est vicus Engern / sedes quondam Wedekindi, nò procul Herfordia, nota in Westphalis Civitate. V. Neuwald. de antiq. Westf. col.*

dicerentur. Legi eò possunt Witichindus, anti-
quissimus Saxonum scriptor, & Conradus Ur-
spergensis. Saltem ab illo dissentimus in parte O-
riginum nostrae gentis. Quam, fallit, dum à re-
liquis Macedonici exercitus arcessit. Quo no-
mine eum secuti incautius sunt Gottfridus Vi-
terbiensis, ipse etiam Urspergensis, & pariter
hunc Abbas Stadensis, Niemius, Gobelinus, Ro-
levincius, Aubanus, Kempius & scriptor origi-
num Frisicarum Siffridus Petrus. Sed ut disce-
dimus ab iis, ita accedimus Crantzio, Chytraeo,
Fabricio, Meibomio, auctoribus ut passim obviis,
ita in Saxonum historia non vulgariter versatis.

6. Verum mittimus haec, tanquam alienio-
ra instituto. Cum nobis in eo omne stet consili-
um, ut non nihil de rebus ab Arminio gestis
commemoremus.

7. Ordinem à familia. Quae illustris & cum
à vita, tum à fama celebris fuit. Pater Sigimerus,
Princeps suae gentis, nec ignotus Vellejo, nec in-
glorius hostibus est visus. Dignum is se filium
sustulit, & liberandae Germaniae jam tum indi-
cia praeferentem.

8. Haud dubie sub patre tyrocinia posuit
Arminius. Magister virtutis, bellum, belli instru-
mentum ad sua exercitatio erat.

9. Pa.

9. Patruum insuper Ingviomerum, Socerum Segestem habuit. Sed sine Soceri amore, cum vi se generum fecisset, non vinculo caritatis, ut memorant augusti scriptoris annales.

10. Habebat adeo Conjugem Arminius, sed invito conjugis parente. Hinc verò gliscere odia, mox in exitium auctorem suorum eruptura. Peccabat in eo Socer, qui odia utilitati reip. remittere, & gener, qui petere à Socero uxorem debuerat.

11. Nunc de Arminii dignitate paullo licet videamus. Annales in procerum fuisse numero, faciunt fidem. Adeò verum est, quod adnotavit Beda Anglo Saxo (ex quo doctissimos sapere viros, non abs re adnotavit Ubbo Emmio in Hist. rer. Frisic.) Vetustissimam Saxonum Rempubli- cam proceres habuisse, potentia aequales, sorte, ut hanc fortuna dedisset, solum diversos. Locus Bedae extat l. 5. cap. 11. Hist. Eccles. Ad istud nuper differuerunt argumentum R. Reineccius, & Heint. Meibomius in vind. Billing. Seqviori aevo potentes regionis, Bedae & Theodorico Niemio Satrapae, aliis Primores Westphalorum (anti- qviori nomine Saxonum, Niem. in elog. Ott. M.) adpellati.

12. Jam aestumanti, qvare antiquissimi Saxo-
num

num imperii robur atque ingenium fuerit, in
promptu erit notare, primo præcipuam in armis
salutem fuisse; deinde proceribus non tam ju-
bendo, quam suadendo, quin exemplo potius,
quam imperio, officii constitisse rationes. Postre-
mo regibus, quos Tacitus allegat, regiam pote-
statem non permisisse. * Cum Boxhornio dice-
res, generosa illius gentis ingenia, à merâ eaque
absoluta monarchia semper abhorruisse. Quin
fortasse haud abs re putares, principio imperium
ibi tantum populare viguisse. Inde cum defen-
soribus libertatis opus esset, Duces militiae le-
ctos. Hos insuper editis bellicae virtutis speci-
minibus, multa imperii munia vindicasse sibi:
vel quod poscere decus, vel quod exigere neces-
sitas videretur. His rebus crevisse porrò & par-
tem juris, quo censentur Optimates, obtinuisse.
Atque jam gradus regimini patebat multum à ve-
tere illo & simplice deflectenti. Cum Dd. pru-
dentiae civilis democratiam Aristocratia mi-
xtam adpellaturis, certè nolimus refragari. Sed
procerum quoque horum ingenia variabant &
mores. In bellum ituris uni cura belli delegan-
da erat, sorte semper, an electione, dubium mul-
tis. Sortis tamen potissimam fuisse rationem,
non

* Tac, de M. S. Nec regibus infinita, aut libera potestas.

non ex vano quidam augurantur. Eò maxime, quod nil ipsis legamus tam observatum, quam auspicia & sortes. *Tac. de M. G.* Utrumlibet probes, nil decedet instituto. Nam sive sortitò, seu consultò designatus militiae imperator, viam sibi muniebat ad maximum inter suos decus. Praesertim si rem gessisset bene, si confecisset fortiter. Aditus hic aut ad regnum; aut ad regium saltem nomen, aut ad dignationem prae caeteris conciliandum fuit. Non repugnaturis, qui ex plebe aestimassent ductum, & merita, & statum Imperatoris belli. Valebant eò arma, audacia militaris, legiones imperatori obnoxiae. Nil jam pronius, nil promptius erat, quam grassari ad fastigium regis: regis, inquam, non omnes regiae potestatis numeros complexuri. Obstabat ingenita genti gravitas, obstabat gentile Populo decus, libertas. Satis adeò illi, habere imperii partem, nec recipere quid ultra hanc sortem. Nil destinare supra, nil concupiscere ultra licebat per mores gentis. Erit jam, ut colligas, dividuas Imperii fuisse portiones. Dividuae portiones divisum imperium dabunt. Diviso imperio mixtura inerit & temperamentum. Regnum alioqvi Aristocratia & democratia mixtum ut dicatur, penes eos stabit, qui sua ef-
formant

formant ad legem artis. Mihi sufficiat obiter ex-
pedivisse, quid sentiam. Tantummodo addam,
quod accepi, notasse sapientiores, arcanum domi-
nationis belli ducibus usitatum. Qui non raro à
bello ad vim, à vi ad imperium grassabantur. Ar-
canum hoc, si ita fas est loqui, inter arcana antiqui-
oris aevi fuit. Utinam verò esse disjisset. Verum
id optamus magis, quam obtinemus. Nam ho-
dieq; eo nitentium reperias exempla. Aliis tamen
impenfius cogitatum, quam felicius impletum fuit.
Mirum verò etiam inter cultas audiri gentes. Inter
barbaras nil mirum, apud quas sancta multa sunt,
sed quæ raro habeantur sanctè. Turcia novissi-
mum tibi exemplum dabit. Res ibi eò redactae
sunt, ut paenè timeat Sultanus, à quò debebat time-
ri. Supremus militiae Praefectus fortunam e-
gressus privati est. Subnixus favore militum, pa-
rum fortè aestimat favorem Sultani. Purpura-
torum multos, Praetorianos ferè omnes sibi de-
vinctos habet. Inde imminutae relinqui argu-
mentum majestatis. Vezirio ab Imperio militari
ad imperium civile patere gradus. Nempe pecca-
tum à Sultano est diutius, quam par erat, imperium
belli Vezirio suo continuante.

13. Illud ulterius per adfirmandum confidenter
est, magnam civium erga hos proceres suos religio-
nem

B

nem

nem juxta & gratitudinem fuisse. Rependebant
iis honores, quos judicaverant promeruisse. Inter
exempla erit ARMINIUS, dum posteritas erit. Pro-
bant sane viri doctissimi, Irmensulam Saxoniam
Hermannus nostrati antiquitus positam. Assensu
id excipiunt suo G. Spalatinus, Reineccius, Albinus,
Dresserus, Spangenbergius, Til. Frisius, Jo. Lam-
padius. Nec multum abit Fr. Lindenbrogius, dubi-
tanti tamen, quam decidenti propior. Nimirum
id acceperant à Romanis, qui defensoribus patriae
hunc constare honorem voluerunt, ut viros obse-
quio, mortuos cippis honorarent. Romani, si altius
ascendamus, à Graecis, Graeci à Phoeniciis, hi ab
Aegyptiis & Chaldaeis repetunt hunc morem. Ce-
drenus nil dubitat arcessere ab Hebraeis. Tolerari
potest institutum. Quin probari debet ac laudari.
Modo superstitio abijt veteris aevi.* Nobis sufficiat
advertisse, quibus auspiciis coeperit consecratio He-
roum. Conferat. *Figrelus cap. 4. de stat.*

14. Sed propius inspiciamus, qualem se gesse-
rit ARMINIUS. Mores ab educatione, gloriam
traxit à bello. Patrem reddidit, quia animus sub
disciplina Patris formatus fuit. Hic eum non duce-
re in

* Hanc innuit Alb. Abb. Stad. Carolus inquit, Saxoniam bello
adiens castrum Eresburg coepit, idolum, quod Erminsul vo-
cabatur, evertit, ad A. 772.

re in Gynaeceum, sed in bellum, Scholam principa-
lis virtutis. Male audiunt Assyriorum reges, quod
in foeminarum consenuissent turba. Foeminae a-
deò similiores, quam viris. Alia mens Sigimero,
alia Sigimeri filio fuit. Hoc vobis, reges, Schola sa-
pientum dicit in aurem. Nil sane vestram virtu-
tem alit, nisi palaestra virtutis. Virtus autem ma-
gno stat impendio. Solo labore paratur juxta &
retinetur.

15. Postquam his initiis steterat sua ARMINIO
virtus, pretium desiderabat impensi laboris. Re-
spondet destinatis fortuna, decus illi, quod mereba-
tur, paratura. Jam locus illustrando nomini à fato
electus fuit. * Lupia & Amasis, Westphaliae amnes,
loquerentur virtutem Herois, si possent loqui. Ho-
stis ex gente Romana est, qui turbatorem patriae
appellat, cujus liberator erat. Vitio hoc notandi
Segestes & Flavius frater. ARMINIO nil imputan-
dum tale est. Hic auctor libertatis, hic patriae ser-

B 2

vator

* *Artifices temporum hic Epocham constituunt Varianae cla-
dis, dum rationum suarum disponunt notas. Disponamus
ad hunc modum.*

A. M. 3959.

P. I. 4723.

P. C. 10.

E. Sol. 19.

Lun. 11.

vator fuit. Argumentum id est, Tacitum studuisse
partibus quandoque, cum & minus verè, & paulo
inclementius scripsit de nostro, non laudaturus ali-
às, ni veritas expressisset laudem. Is in extremo
A. II. Liberator, inquit, haut dubie Germaniae. Hoc
testimonium hostis, licet alibi dissidentis à seipso.
Quod non mirum. Integram quoque gentem
Cheruscorum incessit probris, *de M. G. Eodem*
haud dubiè odio adductus. Ab hoc posteri acci-
pitis exemplum, sanguinem, & quidquid habetis,
patriae debituros. Gloriosum pro patria mori. Vi-
tam ergo profundendam sciatis, O mei, si neces-
tas exigat & patriae salus. Si sacra poscant & leges.

16. Haec tenus gratulandum ARMINIO est, ut
manu prompto, ita animo certe maximo. Sed nul-
la sincera felicitas, nulla diuturna esse prosperitas so-
let. Fortis erat ARMINIUS, sed non fortunatus.
Omnia audebat, omnia pericula adibat patriae cau-
sa. Sed nusquam tuta fides, ne in patria quidem.
Amicos habuit, sed brevi futuros hostes. A po-
pularibus odia, à Flavio fratre pericula & contem-
tus, à Segeste, socero, exitium metuendum fuit. Hi
popularium quorundam mores non fregerunt no-
strum, sed erexerunt magis. Multum illi interim
negotii per haec dissidia facessit hostis. Quid age-
ret? Nullum nisi in constantiâ praesidium erat. U-

nus

nus fide addictior illi patruus, Ingviomerus. Qui per id tempus nec instabilis animi erat, & per officia colebat belli. Hos alii sequebantur ut tenaces libertatis, ita infensi servituti. Pauci illi popularium desertores nocere securitati poterant, gloriae gentis certè non poterant. Rarò natura sine monstris, rarius natio sine propudiis quibusdam reperitur & malis. Saepe hostem in sinu gestamus, dum gaudemus in sinu, perituri, cum nescimus nos perire. Adeo nemo unquam tutus, ut frater etiam fratribus, populares popularibus insidiantur. Agnoscite id tandem (agnoscite vero mihi recituro, quae nuper recitata succurrunt) Germani, & demittere in petus. Invidi estis, donec estis concordēs. Soli discordiae succumbitis, si tamen succumbitis. Nempeterror gentium Germani à nemine possunt debellari, nisi à Germanis. Quin ergo tandem averfamini, Mei populares, bella civilia, ut pestem. Concordia res vestrae stabunt, discordia subvertentur. At ut nunquam subvertantur, concordia efficietis, DEO, ut perindulgenti in vos affectu est, pondus addituro.

17. Summum famae accessit decus à clade Varianâ. * Haec gloriae pene Romanae finis, Germanae

B 3

laudis

* Ad hanc digitum indicem interdicit Seneca Ep. XLVII. Malim enim ibi legere Varianam, quam ut vulgò legunt, Marinâ cladē.

laudis initium fuit. Esto igitur: triumpharint Ro-
mani de Germanis. Saepe triumphus sine victo-
ria, saepe plus famae, quam gloriae & meritorum
erat. Vestigia etiamnum conspicua esse ajunt in dy-
nastia Comitum Lippiensium. Mirum sane, fata-
lem hunc fuisse locum praeliorum. Non leviorum,
sed in quibus summa Germanicarum vertit rerum.
Omnium primus ibi ARMINIUS, & ab ejus excessu
post multa inde secula magnus ille Wittekindus ste-
tit pugnans.* Ille victor; hic victus discessit. Vi-
ctus eo victore felicior, quod clades gradus ad vi-
ctoriam in caelo obtinendam fuisset. Tam abditi
Numinis sunt sensus. Impertitur, quae vult. Vult
autem bona, etiam si nos non aestumemus semper
bona. Fallit nos saepe iudicium. Solus DEUS ne-
sciens est falli. Hic alia dat aliis. Quaedam certis
negat, ut certis largiatur. Nullo in mortales odio.
Impius, qui talem Numini Opt. adspergit labem. A-
moris id opus, non invidiae. Ille alia conducere
huic, alia nocere illi solus perspicacissime videt. Eti-
am cum

* *Scriptoribus Germanis audit Theotmelli. Hodie Detmolda,
aulae Lippiensis sedes, locus fatalium praeliorum, à Saxoni-
bus commissorum. Tacitus saltem Teutoburg nominat, ubi
campus Winfeld est, Victoriae Arminii nostratis monumen-
tum. Teutoburg nobis dicitur quasi burgus Teutonum, ex usu
sequioris aevi, quo vicus denotatur, non castellum. Nam per
id tempus nulla castella habuerunt Majores.*

ant cum nos non videmus. Subeamus ergo legem,
quam vult Deus, qui pro lubitu nobiscum commu-
nicat, quidquid fortuiti est boni. Sola aeterna di-
spensat ex aequo.

18. Jam Varum debellaverat Arminius, majora
ausurus. Male id habet Romanos. Deligitur er-
go Germanicus, Vari manes vindicaturus. Hic nova
Arminio materia virtutis. Comparat ergo se ad
pugnam. Suos, ut pugnent, cohortatur. Tanto
minus renitente Romano, quanto Major vindictae
incesserat cupido. Germanicus fortuna, noster ani-
mo major erat. Jam fortitudinē deserebat felicitas.
Sed nitebatur contra necessitatem Arminius. Obte-
statur populares per insignia suae gentis, adisterent
pugnanti. Ni facerent, servos Romanae insolentiae
futuros. Huic se adeo eriperent, si Germani,
id est, viri essent, se ducis officio functurum, modo
sequerentur ducem. Hic manu adest, illic voce
erigit. Jam vultu movet, jam consilio animum ad-
dit. Et vincitur tamen Heros, ab animo semper
invictus.

19. Causas rimanti, eas dabimus in conspe-
ctum, quas Historia augusta obtulit, ut rimaremur.
Primum mali caput intestina dissidia erant. Illa
defectio, defectionem haud dubie comitata prodi-
tio (a) est. Ad haec consilia nimis fervida, eoque
minus

minus matura erant. Impetus saepe rationem, festinatio prudentiam antevertebat. (b) Sed & saepe fortius vincebant, quam cautius victoria utebantur. (c) Pro conditione illius aevi, prisciq; moris. Satis interim sua gerebant animose, etsi nimis saepe festinanter. Alia hodie rerum rerum Germanicarum conditio est, alii Germanorum mores, alia demum ratio militandi. (d) Olim arma minus pugnantibus idonea erant, & plus adeo damni adferebant, quam utilitatis. Nostro verò tempore, ut rei tormentariae, ita omnes militiae artes ad summum fastigium processerunt.

20. Finis nobis cum fine stemmatis Hermanni-
ani erit. Flium ex filia Segestis suscepisse memorat Tacitus. Sed ut adoleverit puer, non satis explicat. Saltem Ravennae educatum fuisse approbat lectori. *A. I.* Multum ille infra gloriam patris fuit, interclusa ad gloriam via. Dedecus Arminii id interpretabatur Maroboduus, * quod inde ignominiam reciperet pater, unde filius non posset liberari. Liberari autem debebat ex servitio Romanorum.

A. I.
* Germanis sonat Meerbott, ut videtur Woltero, dum Marcomannicas Origines scrutatur. Idem Ingvio merum explicat per dictionem Teutonicam Jungmaier. Mittimus verborum curam & quod prudentiae interest, annotamus, veteres Langobardorum Marcomannorumque Reges ex Nobilitate (ipsi Adelingos vocabant) lectos.

A. II. Haecenus invictus erat Arminius, si ab animo aestumetur. Fortuna tamen saepe destituit animum. Tunc quidem maxumè, quum, qui bello subigi non posset, scelere cadit alieno. Dignus qui viveret, si merita, (e) si decus militare, si deniq; tot monumenta virtutis pensitentur. Parricidium Adgandestrius, Chattorum princeps, patravit. Nimirum is vitam auferre potuit, non laudem.

(a) *Indicat sanè Tacitus A. II. habuisse Romanos auxiliares ex Germanis. Qui cum juvare debuissent Germanos, Romanos juvabant, desertis Germanis. Quid mirum ex malo fonte pejorem rivum fluxisse? Eo pertinet, quod adfirmavit Historia augustae scriptor, nil Germanico incognitum fuisse, quod rem spectasset Germanorum. Consilia, insuper, locos, promta, occulta novisse, astusq; adeo hostium in perniciem vertisse.*

(b) *Hinc Florus memorat, impetum pro virtute habuisse, Hist. Germ. Lib. III. cap. 3. Sed bellorum successus non semper impetu stant. Saepe major morae, quam impetus utilitas est. Quin vetus monitum est, victoriam consiliis perfici, ratione dirigi. Conf. Tac. H. III. Est saepe instandum coeptis, & cunctandum saepe, si utilitas exigat & ratio circumstantiarum. Sed ita cunctandum est, ne agendi occasio elabatur. Talem accepimus Fabium Valentem,*
C
qui

qui inutili cunctatione agendi tempora consultando
consumpsit. Tac. H. III. Fuit tamen, cum superiori
tempore accepimus, quosdam salubri mora novas
comparasse vires & cunctando adeo nil decessisse
praesenti fortunae.


(c) Causam arcesimus ab impetu, impetum di-
scimus ab exemplis. Erit autem inter exempla
Theutobochus, erunt veteres Cimbric Theutonique. Vix
tamen id de Arminio nostro dixerimus, cujus talia
bellandi consilia fuerunt, qualia non possunt profici-
sci, nisi à prudentissimo belli Imperatore. Atque hoc
si recte memini, ipse agnovit Pius Mutius confid. su-
per Tac. 282. Praeter impetum alioqui Tacitus au-
daciam allegat. Quanto quis, inquit, audacia prom-
tus, tanto magis fidus, rebusque motis potior habetur.
A. II. Ultra audaciam memorat violentiam, prae-
sertim Arminii, tunc temporis Germanorum ducto-
ris. Nolim etiam negare, multum felicitati veterum
ex eo detractum fuisse, quod existimassent, dolos mi-
litares non esse ex dignitate bellantium. Hinc Ar-
minius palam adfirmat, adversus armatos bellum
se gerere. Perinde forte, ac si stratagemata, quae
vocant, magis perfidiae, quam gloriae instrumenta
essent. Gloriosi verò semper esse volebant Germani,
nil aequè aversantes, quam quod vel suspicionem,
vitii haberet & fraudis. Unum optimis Germanis
deerat,

deerat, quod, animos non imbuisent litteris, quum
litterae tamen instruant virtutem, non minu-
ant. Ut falsos esse oporteat Scythas, similesq; bar-
baros, qui litteris effoeminari animos credunt, non
credituri, si litterarum sensissent utilitatem. Quid
bella sine consiliis, quid consilia sine litteris? Tametsi
haud inficias iuverim, iacturam litterarum quos-
dam resarcire naturali ingeniorum bonitate & jux-
ta experientia, duobus illis in vita civili oculis, prae-
sertim, si lumen accedat litterarum.

(d) Ut verò multum inter veteres & hodiernos
mores intercedat, non dubitamus tn. majoribus no-
stris destinare nomen exquisitae virtutis, saltē ejus,
quae in bellorum versatur administratione. Habet
quaedam de Arminio Vellejus, quae ostendant, He-
roem fuisse Arminiam. Quod testimonium tanto
majus censemus, quanto liberalius impertitum ab
hoste est. Utinam verò alius de Arminio scripsisset,
quam hostis. Sed quidquid huius est, defectus ille
antiquissimi est aevi, eoque incultis illis temporibus
condonandus. Saltim observamus hic arcanum illud
providentiae divinae, quod Germanos esse voluit,
qui tunc insolentiae Romanae ponerent obicem. Lau-
damus verò hic unà, quod militia ipsorum non esset
mercenaria, si paucos, qui ad ingenio gentis descii-
verant, excipias. Contra quam hodie, ubi merce-
narii

narii militis invaluit usus. Vid. D. Conringius de rep. antiq. vet. Germ. p. 32. atq; hunc morem putem hausisse à Romanis, sub quibus stipendia meritos quoq; accepimus. Tacitus enim memorat Lib. I. An. II. plerosq; Romanorum castra sequutos. Atqui verò Romani militem ex Tribubus legebant, aestumaturi prius, quam legerent, ut eruditissime adnotavit gravissimus Forstnerus. De caetero quid alii laudent, quidve contra desiderent in genere armorum, quibus usi sunt majores, videas licet apud Scip. Amir. diff. Polit. l. 2. disc. 5. & Conring. d. disp. pos. 26. Rectè adeò Tacitus. Nec minor, inquit, Germanis animus, sed genere pugnae & armorum superabantur. Et alibi: Nec immensa, inquit, Barbarorum scuta, enormes hastas, perinde haberi, quam pila & gladios Romanorum. vid. A. II. passim. Ut hic lubentes taceamus, aviditate praedae illis justum victoriae fructum saepe ereptum. Quo nomine tamen nolimus Arminium notatum. Velimus tamen Ingvomerum. Recentiora exempla omnibus nota sunt. Ut pigeat afferre. Nempe animi cupientium praedam gloriam raro, victoriam rarissimè consequuntur, digni, qui ejus amittant fructum, cujus amiserunt occasionem.

(e) Referendum hic quoq; esset de Arminii prudentia, sed referam hic saltem de ejus calliditate, quam testatus est, dum arma adversus Marobodunum caperet. Tuendae libertatis titulum sumebat bellaturus, ut favorem haberet. Sed aliud saepe fecisse, aliud praetendisse est visus. d. II. de facundia militari mireris si legas, quae Tacitus ab eo ut graviter, ita fortiter dicta allegat. A. I. 2. Obiter hic indicamus, argumentum ab Andlero nuper sumtum, nec belli artibus vacuum, & bello insuper remedia forte allaturum, non planè adeo hinc alienum.



Witt

antiquis, sub
immemoribus.
At
maturis
issimus
ra desideras
deas libris
d. disp.
nimus,
i: Nec
perinde
sim. Ut
victoriae
Armi-
entiora
e animi
conferunt

ria, sed
, dum
tistitu-
d saepe
militari
er dicta
Andtle-
nsu-

Jon. Thom 1458 ^X/₂

OK

ULB Halle 3
004 103 904


Pou. dig.




W 17



Am 1458 x

OK





v.

NIO,

IDE
SAMUELE
LEISCH,

ifferet
AD Mitternacht/
st.

l. cl. Isc. LXX.

RGAE,
RÖDTERI, Acad. Typ.
C. XCV.

Tom. II. n. 1458^x = OK

3.

